

moveat, quo foetui in utero materno imprimantur maculae, phantasia est causa illius mutationis, quae fit in foetu; causa physica, tamen esse non potest, quia non immediate influit in effectum. Erit moralis; neque tamen phantasia est causa libera, ut per se patet. Unde potest aliqua causa esse moralis, quae tamen non est libera. Propterea illa acceptio aliena est, cum causis confundat diversissimas, eo quod causa libera s. ut Philosophus dicit 3. *Ethic. c. 1. αἴτιον αὐθαιρέτων, ὡς θύμον ἐκείσιν*, cum Causa Morali non pari passu ambulat (2.) *Proprie*, pro tali causa, quae in effectum influxu physico non influit, ita tamen se gerit, ut ei productum imputetur, quia ratione differt à causa physica, utpote quae revera influit, quemadmodum ex sequentibus dilucidius apparebit.

§. IV.

Synonyma hic deprehenduntur apud Autores varia, quae tamen non usque quaque sunt congrua. *Johannes Maccovius Professor olim in Academia Franqueverna* statuit causam impulsivam, & causam Moralem esse unum & idem; Alius vult causam moralem, & conditionem sine qua non esse Synonyma. Alii statuunt, Causam Moralem & causam Moraliter agentem esse æquipollentia. Alii finalem Causam cum causa morali coincidere putant, quibus omnibus tamen certas ob rationes & prægnantes causas adjicere nequimus album calculum. Differimus autem harum opinionum examen ad ipsam evolutionem & constitutionem Causæ Moralis; Etenim tunc cognitâ, ipsa Causæ Moralis Natura statim dispalescet, quomodo & quatenus putatitia dicta æquipollentia cum ea conveniant, & quatenus ab eadem recedant. Ne igitur ordinem turbemus, & ea hic dicamus, quae ad ipsum esse causæ Moralis spectant, reservamus sententiarum talium censuram in locum prædictum, cum singula suo loco sint examinanda.

§. V.

Ast missa *ὀνομασλογία* s. Definitione nominali progredimur ad ipsam *πραγμασλογία* s. Definitionem realem. Variant autem Autores Metaphysici in definienda Causa Morali admodum. Multi angustiores, multi latiores fabricant definitiones. Nobis præprimis arridet illa definitio, cum *Causa Moralis* definitur, quod sit *Causa Efficiens, quae quidem revera non influit*